

et dic e-is : Ascendo ad patrem meum et
 pa-tre) vestram, De-um meum et Deum vestrum.
 Hoc finito sacerdos in dextro cornu altaris iterum
 a pareat, et illis transeuntibus ante altare dicat :

A - veste, no-li-te ti-me - ré, i - te,
 nunc-ate fratribus meis ut e - ant
 io Ga-li - læam; i - bi me vi-debunt.

A Hoc finito se abscondat, et mulieres nec audito
 lætæ incinent ad altare, et conversæ ad chorum hunc
 versum cantent [al. add. alta voce] :

Al-leluia Resurrexit De-minus, sur-re-xit
 215 Le-o for-tis, Christus Fili-us De-i.

Hoc finito, dominus archiepiscopus, vel sa-
 cerdos, ante altare cum thuribulo incipiat al-
 te Deum laudamus, et sine neuima finiatur. (Ad laudes)
 tres Mariæ Resurgente, vel aliud Benedicamus ad
 placitum. Sequatur processio ante crucifixum cum
 cruce per totam hebdomadam; una de Mariæ inci-
 piat Christus resurgens, et tres Mariæ cantent ver-
 sum in pulpito Dicant nunc, etc.

ORDINATIO EPISCOPI.

(Ex vetustissimo Pontificali ms. bibliothecæ cathedralis Rotomag.)

In die ordinationis episcopi manissime pulsetur et
 cantetur Prima; post quam eatur ad capitulum, ibi-
 que a decano, archidiacono, cantore et cancellario
 ordinentur qui debent procedere ministri, sicut in
 majoribus mos est festiuitatibus, hoc est, duo acolythi
 cum thuribus, duo subdiaconi cum crucibus, septem
 acolythi cum candelabris et cereis, septem subdiaconi
 cum Evangeliorum libris, septem diaconi cum sanctis
 reliquiis, duodecim presbyteri induti planetis, acoly-
 thus indutus podere cum vasculo aureo chris-matis.
 Tertia pulsetur temporanee, et interim præparet se
 dominus archiepiscopus sandaliis et 216 ceteris
 omnibus usque ad dalmaticam. Tunc induitur cappa,
 et tenens baculum pascoralem in manu procedit e
 sacratio. Similiter omnes episcopi exeant induti. Ipse
 autem electus necdum induatur sandaliis, sed tantum
 alba, et stola, et cappa; nec ferat baculum, sed po-
 natur super altare cum annulo, usquedum consecra-
 tus accipiat de manu archiepiscopi. Venientes autem
 in ecclesia, ponantur sedes ita: Dominus metropolita-
 nus sedebit verso dorso ad altare; sedilia vero cæte-
 rorum episcoporum ponantur ante oculos metropoli-
 tani. Sedes autem ipsius electi ponatur in medio, non
 tamen ad majus altare. Comprovinciales autem epi-
 scopi offerant electum domino metropolitano, his ver-
 bis: Reverende Pater, postulat sancta mater Ec-
 clesia N. ut hunc præsentem presbyterum ad onus
 episcopatus subleuetis. Et respondeat metropolitani-
 nus: Scitis illum dignum esse? Et episcopi: Scimus et
 credimus illum esse dignum, quantum humana fragi-
 litas sinit nosse. Et respondeant omnes: Deo
 gratias.

Tunc metropolitani ad episcopos: Audiamus, si
 placet, quid de tanta consecratione sancti Patres
 statere. Tunc cancellarius legat distincte et aperte
 ad intelligendum hæc decreta, dicens: Jube, domne,
 benedicere. Et dominus: Quidquid in nobis Christo
 displicet, hoc sanctus Spiritus emundet.

217 Ex Decretis Anacleti papæ. Anacletus epi-
 scopus universis episcopis in Italia constituit.

Tunc metropolitani ad electum: Audisti, charis-
 sime, quod antiqua sanctorum Patrum institutio
 docet et præcipit ut is qui ad ordinem episcopatus

eligitur, maxime ut regimus in canone Carthagi-
 nensi, antea diligentissime examinetur cum omni
 charitate de fide sanctæ Trinitatis, et interrogetur
 de diversis causis et moribus quæ huic regimini
 congruunt, et quæ necessaria sunt retinere secun-
 dum Apostoli dictum: Manus nemini cito imposue-
 ris (1 Tim. v, 22). Et ut etiam is qui est ordinandus
 antea erudiat qualiter sub hoc regimine constitu-
 tum oporteat conversari in Ecclesia Dei, ut irrep-
 hensibiles sint qui ei manus ordinationis imponunt.
 Eadem divina auctoritate et præcepto interrogamus
 te, dilectissime frater, charitate sincera, si omnem
 providentiam tuam, quantum tua capax est natura,
 divinæ Scripturæ sensibus accommodare volue-
 ris? (45)

Interrogatio. Vis ea quæ ex divinis Scripturis
 intellexeris plebem, cui ordinandus es, et verbis
 docere et exemplis? Responso. Volo.

Interrogatio. Vis per Dei gratiam et tuam diligen-
 tiam talis esse qualem episcopum 218 esse debere
 docet Apostolus, videlicet, Sobrium, prudentem,
 pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vino-
 lentum, non percussorem, sed modestum, non litigio-
 sum, non cupidum? (1 Tim. iii). R. Volo.

Interrogatio. Vis castitatem mentis et corporis,
 Deo donante, custodire, et in ea filios tuos nutri-
 re? R. Volo.

Interrogatio. Vis beato Petro et sanctæ Romanæ
 Ecclesiæ esse subditus secundum statuta Patrum?
 R. Volo.

Interrogatio. Vis sanctæ Rotomagensi Ecclesiæ,
 mihi et successoribus meis obediens esse et sub-
 ditus? R. Volo.

Interrogatio. Vis mihi et Ecclesiæ meæ profes-
 sionem facere, sicut mos antiquitus constitutus ob-
 tinuit? R. Volo, et paratus sum in omnibus
 obedire.

Interrogatio. Pauperibus et peregrinis, omnibus-
 que indigentibus vis esse propter nomen Domini
 affabilis et misericors? R. Volo.

Deinde dicatur ei hæc oratio.

Hæc omnia et cætera bona tribuat tibi Dominus,

(45) In Ordine et Pontificali romano legitur responsio: Ita ex toto corde volo in omnibus obedire et
 consentire.

et custodiat te atque corroboret in omni bonitate.

Et respondeant omnes: Amen.

Interrogatio credulitatis. Credis, secundum intelligentiam et capacitatem sensus tui, **219** sanctam Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum esse naturaliter atque essentialiter Deum omnipotentem, æternum et incommutabilem, neque tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, nec Filium ipsam esse qui Pater est, nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater aut Filius est, sed Patrem semper Patrem, Filium semper Filium, Spiritum sanctum semper Spiritum sanctum? *¶ Credo.*

Interrogatio. Credis quod Pater plenus Deus est in se, et Filius plenus Deus est in se, et Spiritus sanctus plenus Deus est in se, et tamen istas tres personas non tres Deos, sed unum esse Deum vivum, verum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia quæ sunt in cælo et in terra visibilia et invisibilia? *¶ Assentior et ita credo.*

Interrogatio. Credis Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum, plenum et perfectum, coequaltem et coæqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem natiuitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura, atque perfectum, **220** non adoptivum, non phantasticum, unicum et unum Deum, Dei Filium, in duabus naturis, in unius personæ singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne qua resurrexit et anima ascendisse in cælum, et sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditorum unicuique secundum opera sua? *¶ Credo.*

Interrogatio. Credis panem, qui in mensa Dominica proponitur, panem tantummodo esse ante consecrationem, sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis, converti naturam et substantiam panis in naturam et substantiam carnis, carnis vero non alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu sancto, et nata ex Maria Virgine? *¶ Credo.*

Interrogatio. Similiter vinum quod aquæ mistum in calice sacrificandum proponitur, vere et essentialiter converti in eum sanguinem qui per lanceam militis de vulnere Domini lateris emanavit? *¶ Credo.*

Interrogatio. Credis unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, in qua hæc singularis gratia efficitur, in qua unum **221** datur baptismum, et vera omnium remissio peccatorum? *¶ Credo.*

Interrogatio. Anathematizas omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam catholicam? *¶ Anathematizo.*

Interrogatio. Credis veram resurrectionem ejusdem carnis quam nunc gestas, et vitam æternam? *¶ Credo.*

Oratio.

Hæc tibi fides augeatur a Domino ad veram et æternam salutem [*al. beatitudinem*], dilectissime frater.

Oratio ad missam.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et quod nostræ humilitatis agendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectus. Per.

Alia.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et

A inclinatio super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per.

Secreta.

Hæc hostia, quæsumus, Domine, emundet nostra delicta, et ad sacrificium celebrandum, subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per.

Infra-actio.

222 Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo N. quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus consequatur, diesque nostros.

Postcommunio.

Hæc nos communio purget a crimine, et cælestis remedii faciat esse consortes. Per.

Ad pollicem consecrandum.

Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad pontificalem sublimari voluit dignitatem, ipse te chrismate et mysticæ delibutionis liquore perfundat, et spiritualis benedictionis ubertate fecundet, ut quidquid sanctificaveris sanctificetur, et consecratæ manus istius vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. Per.

Benedictio baculi.

Omnipotens et misericors Deus, qui ineffabili bonitate votis supplicantium assistis, quique ex tuæ pietatis abundantia affectum petendi attribuis, baculo huic quem ad pastoralis officii signum in **223** tuo nomine dedicamus, tuæ benedictionis vim copiose infunde, ut eo pastor insignitus, sic populum tuum sollicite custodiat quatenus ab unitate Ecclesiæ nullatenus deviare permittat, sed infractum redintegret, quassatum consolidet, seque una cum grege suo integrum tibi atque immaculatum conservet. Per.

Benedictio annuli.

Deus, totius creature principium et finis, in quo clausa sunt omnia, hunc anulum benedicere et sanctificare digneris; ut qui per eum famulo tuo honoris insignia concedis, virtutem et præmia largiaris, quo et discretionis habitum semper retineat, et veræ fidei fulgore præfulgeat, sanctæ Trinitatis quoque armatus munimine, miles inexpugnabilis acies diaboli constanter evincat. Per.

Hic immittitur episcopus in cathedram episcopalem et dicitur hæc oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui distinctis ordinibus omnem militiam cælestem dignatus es in supernis sedibus ordinare, quique beatum Petrum apostolum in cathedram honoris totius Ecclesiæ sublimasti, et Matthiam ejusdem consortem in throno apostolico residere voluisti, quæsumus, pro tua immensa misericordia, **224** effunde gratiam tuam in loco isto, ut sit hæc sedes cathedra honoris et dignitatis in conspectu majestatis tuæ, ad laudem et gloriam nominis tui, ad honorem Ecclesiæ tuæ, ut quicumque in ea te eligente resederit, requiescat super eum gratia septiformis Spiritus tui. Per Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus. Per.